



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vitae Sanctorvm

Lippeloo, Zacharias

Coloniae Agrippinæ, 1604

Illvstre Martyrivm S. Hadriani, & aliorum 23. ex eo quod habetur optima fide apud Surium 8. Septemb. Paßi verò sunt, sub Galer. Maximiano in oriente regnante anno Christi Domini 311. Eusebij Papæ 3. ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-42667

sumebat cibum. Vinum & potionem omnem, que ebrietatem adferre posset, haud aliter atque venenum repudiabat. Sed hæc pauca è plurib. commemorasse sufficiat.

Porro cum iam plenus dierum nocte concubia ab angelo obitus sui diem insequentem fore didicisset, ac manè ad se accitis fratribus exitum suum eorum precibus ac eos Deo commendasset, cunctaq; suauiter disposuisset; ad horam tertiam incruentum obtulit sacrificium; sumptoq; cælesti viatico, ita vt sacræ assistebat aræ, animam in manus creatoris efflavit. Corpus fuit multis cum discipulorum lachrymis honorificè ibidem tumulatum; multò verò post tempore occasione persecutionis Nortmannicæ translatus est Gaudium in Flandria ad S. Petri monasterium in monte Blandinio situm; cuius Translationis commemoratio fit Kalend. Augusti.

ILLUSTRE MARTYRIUM S. HADRIANI, & aliorum 23. ex eo quod habetur optima fide apud Surium 8. Septemb. Passi verò sunt, sub Galer. Maximiano in oriente regnante anno Christi Domini 311. Eusebii Papæ 3. Constantini Imp. 6.

IN diebus illis tyrannus Maximianus eivitate Nicomediam ingressus, omnibus illius incolis severo edicto præcepit, vt quoscunq; noscent Christianæ religionis studio deditos, eos proderent, quò conceptum animi sui in Christianos furorem explere posset. Tanta namq; tyrannide in veræ pietatis cultores sæuebat, vt partim suppliciorum metu, partim magnificis admodum præmijs propositis, alios ad aliorum prodicionem cogeret. Miserandum sanè erat hoc spectacu-

Ab Angelo prænunciatur obitus eius.

Ad altare reddit Domino spiritum.

Vide Io. Molan. in Indiculo SS. Belgij. Perbuit potissimum anno Domini 380. teste eodem in Chronico cap. 11.

Vide Cæf. Baron. Anna. To. 3. & not. Martyr Rom. hoc die.

4. Martij. Hic est dies natalis eius. 8. enim Septemb. eius translatio celebratur.

Sana Chri-
stianorum
persecutio.

étaculum. Vicini vicinos, amici amicos, propin-
qui propinquos, partim præmijs illecti, partim
pœnarum metu territi tradebant.

Christiani
vincti, offe-
runtur Ma-
ximiano.

Fuerunt tunc quidam egregij Christi fideles
inter spelæa ferarum, nocturnis vigilijs ac preci-
bus incumbentes inuenti, & protinus ferro cru-
deliter vincti in ciuitatem adducti. Qui mox Ma-
ximiano oblati, interrogati sunt ab eo vadè esset,
& utrùmne audiuiſſent quænam essent constitu-
ta supplicia, omnibus Christianæ religionis cul-
toribus. Cui illi constanti animo responderunt
Nos quidè hic nati, religione Christiani sumus
supplicia autem audiuiſſimus, sed stultissimam illà
iussionem, & mentem tuam in profundo impietatis
demersam irrisimus. Quibus ait, Itanè vobis
iussa nostra à vesana mente profecta dicitis? Per
deos magnos, inquit ad principes, extendantur &
virgis crudeliter cædatur, videamusq; quis Deus
eorum de manibus illos meis eripiet.

Prælarè re-
spondent
Maximiano

Cæduntur
neruis.

Hæc cum dixisset, tres crudelitatis ipsius mini-
stri, crudis bouum neruis armati præsto fuerunt, &
verberibus eos fatigare aggressi sunt. At marty-
res, quorum inuicta erat virtus. Qui inquit, o
hostis Dei, tres etiã alios adde; quò enim plures
torteres fuerint, tanto pulchriores nobis contex-
tes coronas. Maximianus hanc loquendi audaci-
am admirans, dixit ad eos; Infelicissimi mortali-
um, iam ego ceruices vobis præcidi iubeo, &
vos coronas expectatis? Abiurate vanam hanc
doctrinam vestram, ne in miserandum valdè in-
feritum deuoluamini. Ad hæc martyres; Perdet
te Deus, qui sine causâ affligis seruos eius, nulli
culpæ affines. His auditis, tyrannus immodico fu-
rore percitus clamauit; Lapidibus ora eorum cõ-
tundite. Fecerunt protinus ministri quod iussu-
rant.

Ora eorum
lapidib. con-
tunduntur.

rant. At martyres maiori constantia, dixerunt; Præuaricator & inimice Dei, necdum satiatus es poenis nostris, nec horruisti tot horis crudeliter in nos sæuire. Sed certè maiora te manent supplicia, quàm sunt nobis abs te illata. Acutissimi lapides tui maxillas nostras conterere non potuerunt, & nondum, fili Diaboli, Christi Dei nostri virtutem agnosces? Ad hæc Maximianus ira vehementius inflammatus, Per Deos magnos, inquit, vestras ego linguas excindam, vt ex vobis discant mortales non contradicere Dominis suis. Sed dicite quænam mihi sunt supplicia, quæ minitamihi, constituta? Cui martyres; Tu quæris, inquit, quæ supplicia? Illa ipsa quæ Deus diabolo & angelis eius, iusto iudicio præparauit; signis inextinguibilis, vermis immortalis, & tormenta in omni sæculorum æternitate duratura. Maximianus, hæc tam acerborum denunciatione suppliciorum, vehementer irritatus, iam, inquit, linguæ vestræ excindetur; & conuersus ad ministros, præcepit vt martyres ferro per omne corpus cõstrictos in custodia abducerent.

Maximianus iubet martyres duci in custodiam.

Porro Hadrianus, qui in officio primas tenebat, videns tam inuictam in supplicijs perferendis martyrum virtutem, dixit ad eos; Adiuro vos per Deum vestrum pro quo hæc patimini, dicite mihi quam remunerationem vel gloriã, pro his tantis tamque immanibus cruciatibus, expectatis. Cui martyres; Gloria, quam securi à bonorum omnium largitore Deo expectamus, tanta est, vt non modo verbis explicari, sed nec mente quidem concipi possit. Hæc audiens Hadrianus, a lacri animo statim in medium impiorum agmen profiliuit, & se quoque Christianum esse audacter confessus est. Ministri turbati hæc sine mora

Hadrianus credit in Christum.

mora Imperatori in palatio annunciarent; qui penè in stuporem versus, eum ad se adduci iussit & ait; Adriane, quæ te mentis infania exagitat, volens in perditionem ruas? Cui Hadrianus. Nequaquam, inquit, ò Rex infanio, sed ab infania ad sanam mentem reuersus sum. Audiens hæc Maximianus. Quid, inquit, multa loqueris? Pete veniam, & linguæ tuæ lapsum coram omnibus agnosce. Hadrianus verò. Equidem, inquit, ò Imperator deinceps à Deo malefactorum meorum & superioris vitæ errorum veniam petam. Maximianus hac confessione non mediocriter turbatus, iussit eum ferro vinctum cum reliquis martyribus ad carcerem trahi, vt præfinito die extremum de omnibus supplicium sumeret. Dum hæc fiunt, vnus è seruis Hadriani festinus domum abiit & uxori eius Nataliæ mariti sui captiuitatem nunciavit. Quæ primùm quidem vehementer turbata, scissa veste, animi dolorem cum miserabili sine eiulatu testabatur. At postquam, causa captiuitatis exposita, intellexisset, pro Christi eum nomine vincula gaudentem excepisse: vix præ lætitiâ lachrymas continuit. Erat enim Christianis orta parentibus egregiè pia, nec antè illum diem propter persecutionis immanitatem, religionem profiteri aulæ fuerat. Tunc verò cum maritum cælesti luce, è densissimis impietatis tenebris, ereptum cognouit: mutata veste summo cum gaudio ad carcerem abiit, terque ad viri sui pedes proci dens, vincula; quibus constrictus erat exosculationibus, felicem eum ac terque quaterque beatum prædicans, quòd dignus inuentus esset, pro Christi nomine contumeliam pati. Deinde simili pietatis ardore, cum lachrymis reliquorum martyram (qui erant numero viginti tres) vincula

Ducitur cū alijs in carcerem.

Hadriani mariti sui vincula, Nataliæ exosculationatur.

exosculans, precabatur, ut eum suis consilijs ac monitis, præclaro in certamine confirmarent. Habuit etiam luculentum sermonem ad maritum, quo eum partim ad constantiam incitabat, partim rogabat ne se absente felicem illum cursum certaminis perficeret: & sic quidem sermone in vesperum protracto, domum redijt.

Paucis autem post diebus tempus adfuit, quo Maximianus exulceratum adhuc vehementer animum suum, martyrum sanguine sanare constituit. Quod ubi Hadrianus compertum habuit, statim ut uxorem suam in certamine, quemadmodum conuenerat, præsentem haberet, corruptis pecuniarum largitione custodibus, domum suam abscessit. Cumq; in itinere constitutus, adibus appropinquaret, Natalia vxor eius incredibili affecta dolore, amarissimè flebat. Diulgato namque hominum rumore ad aures eius peruenerat, Hadrianum à professione Christianæ fidei resillisse. Vnde vix mentis compos maritum iam domum ingredi cupientem, summa cum indignatione exclusit; altero quoque verbo perfidum illum, timidum, ac mortalium omnium miserimum appellans: se vero foeminarum omnium infelicissimam clamitabat. Quo modò, dicebat, hanc tantam impietatis notam inter Christi fideles ferre poterò, qui putabam me martyris uxorem appellandam, cum nunc perfidi ac transgressoris coniunx sum?

Hæc Hadrianus audiens, summa voluptatè tenebatur quòd cerneret foeminam eamq; iuuenè, & non amplius quàm menses tredecim sibi coniunctam, tanto fidei ac pietatis ardore flagrare. Vnde cum diutius amoris sui erga eam flammam abscondere non posset, in hæc verba prorupit:
Aperi

Pijssima foemina mirè dolet, dum putat maritum suum à Christo defecisse.

Hadriani
pijsimæ vo-
ces, ad con-
iugem suam
Nataliam.

**Natalia mar-
tyrum pla-
gas, septem
dieb. in car-
cere curat.**

**Hadrianus
ducitur ad
supplicium.**

**Hadrianus
lignis & fu-
stibus cædi-
tur.**

**Maximianus
eum blandi-
zijs, à cōstan-
tia depellere
nititur.**

Aperi mihi Domina mea Natalia, citò aperi. Non enim ego, vt tu existimas, à Christi confessione defeci, aut suppliciorum metu deterritus huc con- fugi, sed vt te certaminis nostri iam iam futuri spectatricem haberem, huc adueni. Aperi igitur, & vna mecum in stadium ingredi. His auditis, Natalia reſerat ſ foribus in oscula & amplexus mariti ruit, & omnium quasi rerum obliſa, festina cum marito ad relictos in carcere socios abiit. Quò vt peruentum fuit, Natalia Dei ancilla ad pedes sanctorum se prosternens, vincula eorum exosculata est; & corpora à supplicijs iam putrefacta septem in carcere diebus fouit, & linteis sanctorum plagas magna cum reuerentia terſit. Vbi verò dies supplicio detestata aduenit, omnes quidem tribunali oblati sunt; sed cum reliqui omnes præcedentibus iam tormentis attriti fuissent, solus Hadrianus, viribus adhuc integris, ad quaſtiones quaſtitus est. Expoliatum ergo vestibus, & proprijs manibus eculeum ferentem ſtunt tyrano. Qui primum vultu placido, Hadriane, inquit, qua tibi nunc ſententia, qua mens est? adhuc permanes in infania? Cui Adrianus; iam tibi dixi me ab infania recessisse, & ideò ad vitam hanc pro Christi nomine profundendam promptum paratumq; esse. Hoc accepto responſo, tyrannus lignis eum contundi, & à quatuor tandem liſtoribus fuſtibus cædi iuſſit.

Interea Natalia cum sanctis martyribus in genua prouoluta, preces sine intermissione pro marito constantia ad Deum fundebat. Maximianus verò nullum non mouebat lapidem, vt martyr è à constantia deiiceret. Tandem cum diu multumque supplicijs ſauitum eſſet, ait; Hadriane, pro-

profecit non possum, ego tantam animi tui generositatem corporisque pulchritudinem sine maximo doloris sensu aspicere. Quare consule tibi consule mihi, & magnos Deos adora, ut multiplicatis honoribus in pristinum te dignitatis gradum restituum. Es enim iuuenis honesto loco natus, & maximis honoribus dignus. Ceteri vero cui te suis persuasionibus, in hanc mentem atque ad eam in pestem & exitium impulerunt, homines sunt pauperes, & obscuris natalibus orti. Ad hæc Hadrianus; Tu quidem, o Imperator, optimè & patriam, & genus, & auos proavosque meos nostis; verum si illorum, qui tibi despectui sunt, illorum dico sanctorum genus & opes, & quam expectant patriam novisses, non dubito quin te humi ad illorum pedes abijceres, supplexque eorum preces exposceres.

Ad has voces ira inflammatus Maximianus, iubet martyris ventrem à quatuor viris fortissimis tanta crudelitate verberari, ut effusus in terram intestinis, nec ipse quidem crudele spectaculum immotis oculis ferre posset. Quare iussit martyrem cum ceteris sanctis ferro constrictum ad carcerem reduci. At Natalia beatissima sollicitè confortabat eum, & missa ad cernicem eius manu eumque palpatis dixit. Tam te o marite, o lumen meum, beatum prædico, qui sanctorum consortio dignus effectus es. Perge modo eadem fortitudine, & animo in sola Christi Iesu gratia confirmato, palmam apprehende. Hæc & alia multa dicens, cum multis alijs religiosis admodum matronis in carcerem eum comitata est; ubi omnes martyrum necessitatibus certatim inserviebant, aliæ vulneribus medebantur, aliæ putredinem stolis suis abstergebant. Natalia verò profuētenti

Venter eius verberatur, & viscera effunduntur.

Natalia egregiè cōfirmat Hadrianum.

è mariti vulneribus sanguinem abstergebat, caput suum ac membra perungebat.

Vide S. Natalia facinus eximium.

Orat Natalia lictores, ut maritum suum ante alios, martyrio afficiat.

Nota Natalia virilem animum.

Excedit è vita beatissimus Hadrianus. Item alij.

Cum verò tyrannus pia matronarum obsequia martyribus in carcere exhibita intelligeret, venit, ne cuiquam illarum aditus in carcerem detinere pateret. Quo audito Natalia, tonsis capillis sumptoq; virili habitu ingressa est, & sola omnium vulnera fouit, curauitque. Cuius virtutem reliqui statim imitatz se in nullo pietatis officio superari passæ sunt. Quod postquam Maximianus comperit, tum etiam nè martyres, omnibus iam penè viribus destituti naturali morte tyrannidem eius subterfugerent, iussit incudem adferri, ut truncatis in ea manibus pedibusque vitam tandem cum morte commutarent. Allata autem cum veche ferreo incude, Natalia quæ præsens aderat, orate & obsecrare lictores coepit, ut maritum suum eo antè alios supplicio afficerent, ne poena atrocissima sanctis illata, terreretur. Obtemperarunt libenter carnifices, cumque extenso super incudem Hadriano, ad cædem inferendam parati starent, Natalia pedem eius apprehendens, licitoribus eum feriendum extendit, Et quidem contractis in crucibus, & pedibus amputatis, Natalia, Precor, inquit, te mi domine. serue Christi Iesu, extende etiam & manum tuam, ne vlla in re sanctis martyribus inferior sis. Extendit igitur Hadrianus manum quam Natalia licitoribus feriendam præbuit. Propitius itaque manibus & pedibus, Hadrianus totus in suo sanguine volutatus, beatum Deo spiritum tradidit. Cæteri verò Martyres eodem supplicio consumpti, læti è corporis ergastulo ad celum euolârunt.

Maximianus autem, omnibus iam felici morte in-

reinteremptis, ne quis eorum reliquijs honos à Christianis haberetur, iussit corpora flammis exuri: Dùm verò carnifices sacratissima martyrum corpora asportarent, Natalia stillantem sanguinem magna cum deuotione excepit, & reliquæ matronæ ipsas carnificum vestes quæ sacrosancto martyrum sanguine tinctæ erant: ingenti pretio redemerunt. Tanta tunc erat reliquiarum reuerentia, tantus honos ijs qui pro sacrosancto Christi Iesu nomine, vitam cum sanguine profundeabant.

Nota hinc, quanti fecerit antiquitas, reliquias sanctorum.

Porro Natalia cum cerneret sacras reliquias exurendas esse, manum sui mariti in sinum recodidit, & abiens tota mente in peracto tanta cum virtute certamine, absorpta erat. Cum verò sacra corpora in ardentem fornacem coniecta videres, facto impetu cum magna voce, voluit se in ipsas flammis precipitem dare. Sed accidit vt repentina tonitrua, cum horrendo fragore & fulgura, & pluuiæ, & grandines, & horribilis denique terræmotus totam ciuitatem completeret, atque omnes in fugam, sola Natalia relicta, conuerteret. Quidam è carnificibus, tãto tunc terrore repleti sunt, vt cadentes in facies, subitò expirauerint: corpora verò sedata tempestate ab omni combustione illæsa atque integra inuenta sunt, prorsus vt nec capillus quidem, vel minimum ab igne detrimentum passus sit.

Corpora martyrum tonitru & pluuiæ, ab incendio præseruauerunt.

Postquam verò aeris tranquillitas rediisset, homo quidam loci illius egregie pius cum coniuge sua Byzantium, propter impij Imperatoris tyrannidem profecturus, sacra martyrum corpora nauim imposita, cum summa Nataliæ & reliquorum, qui aderant, fratrum voluntate secum asportauit, & summo in honore ac reuerentia habuit.

lii 2 Porro

Tribunus
ciuitatis,
postulat
Nataliam, à
Maximiano
coniugem.

Porro Natalia, referuata sibi beatissimi Hadriani manu, quam purpura obuolutam, & myrrha perfusam ad caput lectuli sui repositam habebat, in domo sua die ac nocte precibus ac vigilijs intenta perseuerabat. Eo tempore ciuitatis illius Tribunus petijt eam sibi à Maximiano coniugem, erat enim eximia corporis pulchritudine prædita, & inter clarissimas foeminas facile prima. Imperator autem cum annuisset, & ille statim animum illius per honestas matronas ad coniugium sollicitaret, simulauit se hoc nuncio mirum in modum lætari, petijtque sibi trium dierum inducias tribui, quibus se ad tam splendidas nuptias parare posset. Interim cum animo suo fugam meditabatur, ut quod reliquum erat vitæ, apud sacras martyrum reliquias in pietatis studio traheret. Igitur cubiculum suum sola ingressa Deum enixè precata est, ut eam ab omni carnis cupiditate impollutam conseruaret, & sine errore Byzantium perduceret. Hæc cum precata esset, mœrore nimio oppressa obdormiuit; & ecce vnus è sanctis martyribus adstitit ei dicens, Pax tibi Natalia. Confide, non te despexit Deus, neque nos oblitus sumus laborum tuorum, quos propter nos suscepisti; Perge Byzantium, ibi enim te visitabit Deus, & perducet ad nos.

Natalia fugit Byzantium, ad martyrum corpora.

Hac visione Natalia mirificè exhilarata, sacra sanctissimi mariti manu assumpta, relictis opibus & cæteris omnibus quæ possidebat, Byzantium ad sanctorum corpora perrexit. Quò cum salua & incolumis delata esset, statim sacrum, quod ferebat, pignus cum gaudio & lachrymis super Hadriani corpus deposuit; & quia ex nauigationis laboribus admodum fatigata erat, voluit breui somno collapsas vires nonnihil recollare

cellare. Et ecce Hadrianus quiescenti apparet, Bene, inquit, huc aduenisti ancilla Christi, & mar- tyrum filia. Veni ad nos in requiem tuam; veni & percipe ea quæ tibi debentur. Hæc cum diceret, Natalia mortalitatis vinculis soluta, vnâ cum ma- rito ad cælos profecta est.

Illustrissimus hic martyr Hadrianus, licet pas- sus sit Nicomediæ, Romæ tamen etiam clarissi- mus est habitus, cuius peruetusta memoria extat apud Arcum Seueri, de qua mentio habetur in Ordine Romano, ibi sacrum corpus eius, Nico- media ac Byzantio translaturum, reconditum est. Eademque inter veteres Cardinalium Diaconas connumeratur.

DE S. PHOCA MARTYRE SYRO, EX S. Gregorio Turanensi: De gloria Martyrum cap. 99. Huic Martyri, Basilius Imperator, ingentem basili- cam erexit Constantinopoli, quam etiam celebri monasterio auxit. Est hic Phocas alius ab illo, eiusdè nominis, Episcopo, qui passus est sub Traiano, Synope in Ponto. Fuit etenim hic, de quo agimus, hortorum cultor & hospes, martyriumq; Antiochia, Capitis obruncatione, consum- mauit.

Phocas martyr, post multas quas pro nomi- ne Redemptoris est passus iniurias, qualiter de antiquo illo serpente triumphauerit, ho- die quoq; populis eo miraculo declaratur. Quod si in quempiam coluber morsum stringens vene- na diffuderit, extemplo, qui percussus est, vt ianu- am atrij, quo martyr quiescit, attigerit, comprei- so tumore, euacuata virtute veneni, saluatur. Ex quibus nonnulli, (vt celebre vulgatum est) iam tumidi

5 Nataliavo- catur ad cæ- lum à mari- to suo.

Cæf. Baron In not. mar 4. mart. & 3 Septemb. Corpus S. Hadriani, translaturum Romam ibi- demq; recõ- ditum. Cæf. Baron. Tom. 2. An. Eccles. An. Domi. 270.

Vide Cæsar in martyre. Rom. 5. mar. & 14. Iulij.

5. Martij.

Miracula ad sepulchrum S. Martyris.

